

5. Naturalis religio facit quidem ad Deum inquirendum; ipsam tamen viam perveniendi ad eum ignorat, Act. XVII.

27. Joh. XIV. 6. †

6. Religionum Syncretismus omni studio vitandus 1. Cor. VI. 14. 15. 16. †

7. Summa Religionis, aut certorum fidei capitum, convenientissimè toties ab Ecclesia solenniori exprimitur Symbolo, quoties doctrinæ puritas ab Adversariis nimium impetitur. Act. XV. 22. XVI. sq. 4. †

8. Vanum est, quod prætenditur, ejusmodi Symbola libertati filiorum Dei adversari Phil. III. 15. 16. Gal. VI. 16. †

9. Optimo jure Ecclesia à ministris suis Symbolorum suorum subscriptionē juratam efflagitare potest. Gal. 1. 8. 1. Tim. III. 10.

10. Quamvis meritò soli Scripturæ S. hæc maneat prærogativa, ut dicatur inspirata à Sp. S. five *θεόπνευστος*; nihil tamen prohibet, Libros nostros Symbol. divina nuncupare scripta.

11. Cum hætenus ex Libris nostris Symbolicis nihil ostendi potuerit, quod divinis adversetur Literis; immeritò iisdem subscribere recusant nonnulli sub formula *QVIA*. †

12. Libri Symbolici etiam quoad consequentias inde legitimè deductas obligant. Matth. VII. 18. †

13. Religionis Christianæ unicum fundamentum est Christus. Eph. II. 20. 1. Cor. III. 11. †

14. Amor Dei & Proximi ab ipso Christianismo abesse non possunt, ipsum tamen fundamentum nequaquam dici possunt constitutivum, †

15. Hæresis est error ipsum fundamentum fidei evertens, includens & intellectus & voluntatis pravitatem, Tit. III. 10. 11.

#### DISP. IV.

##### *De DEO Uno & Trino.*

1. **D**EI notitia tum est naturalis, tum revelata Ecclesiæ propria.

∴ Naturalis, quæ insita est omnium hominum mentibus  
natura.